



P. d. 38  
Cont

Th. hist. R. IV. 150. 762.

201.

22

GEOGRAPHICA  
IN HISTORIA  
SANCHERIBI

QUATUOR CAPITUM

ESAIÆ

XXXVI. XXXVII. XXXVIII. XXXIX.

EX SOLIDIS ANTIQVITATIS  
PRÆSIDIIS

VETERVM ETIAM GEOGRAPHORVM  
MONUMENTIS

EVNTE DECEMBRI  
DEMONSTRABIT

HERMANNVS von der Gardt.



HELMSTADII,

Typis GEORG. WOLFGANGI HAMMII. Acad. Typogr.

ANNO MDCCXIII.

Pro iure.

29.

ARGENTORATENSIS SCHMIDIVS,  
*in Esaie XVII.*

**C**um versus 14 de *Assyrio*, qui unâ nocte casus  
est, proprie accipi possit, & proprietas tropis  
præferenda sit: Assentimur iis, qui de *Assyriis* acci-  
piunt. Ita in verbis nihil erit difficultatis.

HELMSTADT.  
Typs GEORG. WOLFGANGI HANM. Acad. Typogr.  
ANNO MDCCLXIII.  
Pro iure.

*Solida disciplina philologica cultoribus prasidia  
vera & apta!*

**P**erexiguus *Esaie libellus*, cap. 17, 13. 14. 15. à nobis succincte recensitus, exemplo fuit luculento solidi Exegeteos & primi fundamenti, ex *historia* petendi. Hac definitâ, omnia aperta; sepositâ, nihil lucis. *Historia libri* proxima ad sententiam semita; *historia factorum* anima scripti. Absque illa, interpretatio omnis ambigua, lubrica & vaga, quæ in mille trahi formas possit. Sola *historia* scopum auctoris monstrat, sensum scriptoris detegit, interpretationem gubernat & munit. *Historia in Exegesi illustrat librum*, ut *sol illuminat domum*. Sine *historia* liber est conclave sine luce, opaca omnia, ignota omnia, metuenda omnia. *Historia in Exegesi autorum* quorumcunque distinguit singula, aperit occulta, patefacit obscura. Hi lectoris oculi. *Historiam libri & rei* in monumento veteri explicando ante omnia quærat interpretes, aut cœcutit ad clarissima. In *Academiis* non sufficit in interpretando quidlibet dicere. Vera sint & solida, fundamentis nixa justis & immotis. Non vaga studia sed firma, quæ robur habeant, quæ stent, quæ vim sustineant, *Academiis* propria.

Proinde *Philologia in Exegesi* non potest acquiescere *versioni*, nec niti vel optimo, si daretur, *Commentario*. Quæ utraque incertum relinquunt auditorem, ambiguæ traditionis naturâ. *Ad veritatem* cognoscendam, *verum sensum* auctoris sacri percipiendum, eumque tradendum ac defendendum, recte, solide & plene, *Fontes* ipsi simpliciter

necessarii, *linguarum & antiquitatum* cognitio absolute necessaria.

*Fontes sacri, fontes veritatis*, qui satient. *Versiones* talia sunt pro veritate dignoscenda adminicula, qualia sunt paludes & stagna ad puram aquam hauriendam. Linguae, ac historiae & geographiae veteris scientia, tanta sunt veritatis perspicendae *adjumenta*, quanta sunt ad videndum *oculi*, ad audiendum *aures*, quod est, *vera, propria, summe necessaria*. Sine oculis non est visus, nec sine auribus auditus, nec sine linguis sensus, nec sine antiquitate veritas. Non ornatus & elegantiae gratia haec coluntur studia, sed veritatis penetrandae ac defendendae causa. Ubicunque quaestio vertatur *veri sensus*, ibi semper *fontium cura* sit *prima, sine quibus de sententiae veritate disquiritur & disputatur frustra*. Sine illis vacillat interpres, ut laesus pedibus, nervis laxis & solutis, instar infantis aut nodosi senis. *Fontium inscitia & antiquitatis ignorantia* sunt interpretibus, quae aegris podagra & febris, hydrops & cancer. Serpunt haec per vasa corporis, & laceflunt vicinas quasque partes, ut tumeant; *Fontium imperitiâ* non multo segniore, quae per proximos quosque grassatur *Commentarios*, in tumorem, sine naturali sensu, quem podagra subtraxit, febris extinxit, hydrops absorpsit, & cancer exedit. Sensus nullus, quo loco morbus.

Hi solis radii & veritatis nervi potuerunt pellucere ac pervideri & ex laudati novissimi libelli Efaiae recensione. Nihil de totius *libelli sensu* potuit statui, ante, quam suis finibus circumscriberetur, pro suo *initio & termino*. *Soli illi tres versus integer libellus*, pro veterum scribendi ratione, quibus ob multas causas non copia, sed nervi sed pondera placerent.

Ad

Ad libri hujus minutuli historiam pertinet justum interval-  
lum temporis, quod intercessit inter librum præcedentem, à ver-  
su primo capituli 17. usque ad undecimum, & præsentem, ver-  
sibus tribus, 12. 13. 14. Ille liber prior cum hoc posteriori nul-  
lo cohæret filo. Prior ille scriptus circa initium regni Ahas,  
Israële adhuc florente, Pekacho Israelitarum & Rezin Syro-  
rum regibus, in obsidionem Hierosolymæ conspirantibus.  
Posterior hic circa annum Hiskia 18. Sancheribo jam fuso &  
fugato, postquam Israël cum regibus Samariæ duodecim  
jam annis funditus perierat. Quod spatium temporis inter  
utrumque libellum est ferme triginta annorum. Uno capite com-  
prehenderunt tam longe sejuncta opuscula, qui mensuram  
capitum æstimarunt ex verborum quantitate, non rerum  
argumento. Quomodo uno nonnunquam capite tres com-  
prehensi libelli, imo plures, multis annis à se invicem distan-  
tes. Commentatores, historiae libri cujusvis expertes, con-  
stringunt & combinant, consarcinant & consuunt, qui tota  
discrepant natura pannos. Historiæ neglectum vindicat distor-  
ta connexio, & coacta futura, librorum diversissimorum. Quæ  
in capite hoc Esaia XVII. in manifestam scriptoris sacri &  
veritatis injuriam, imperita & imprudens apud plerosque in-  
terpretes contigit consarcinatio.

Ad libelli hujusce historiam spectat porro vinculum hu-  
jus libelli cum sequenti, ratione temporis & fati. Uti præce-  
dens libellus præcessit 30. annis, ita constet oportet, an succe-  
dens liber, c. 18. successerit ætate, & quamdiu, an & plane  
antecefferit. Ex ordine & serie collectionis præsentis non  
licet colligere ordinem rerum, adeoque libellorum natura-  
lem vel innatum. Sequitur in Opere, in Volumine, apud  
omnes gentes, liber, qui tamen ætate vel longa præcessit.  
Sequitur juste, dum finis prius cognoscendus quam initium.

Potest effectus & eventus prius memorari, dein principium & ansa. Ita scite liber ultimus præmittitur in volumine, succedunt qui præcesserunt, qui ansa fuerunt ultimi. Satis interim, ordinem libellorum esse mutatum, ut alius sit à factorum & factorum ordine: *Ultimo scriptum præire primo loco.* Cujus distributionis aut collocationis multæ possunt esse apud collectorem vel editorem causæ.

Illud sane & in præsentī libello contigit, quando pusillus hic libellus præit, qui longe sequi debuerat tres sequentes. Ex ordine loci in libro non licet colligere ordinem facti & fati. Præit in opere, quod posterius factū. Præcedit in volumine liber, qui scriptus serius post plurimos sequentes. Consilium editoris, sive autoris, sive alterius, varium. Judæis millies in ore: אין מוקדם ומאוחר בתורה *Ex ordine loci in libris sacris non licet colligere ordinem facti, transpositione librorum & recensio- num frequente.*

Qualis translocatio libellorum in eodem volumine, nec editoris aut collectoris prudentiæ, vel & rerum ponderi quicquam derogat. Consultò sæpe fit, & in gratiam præsentium aut posterorum, ut præmittatur liber ultimus, qui lumen ceterorum, qui præcesserant. Veritati rerum nihil detrahit mutatus retrogradus recensio- nis ordo. Recensentur primò apud Græcos sæpe & Romanos, quæ evenerunt ultimò: Quod ultima sint luculentiora præviis. Juvat etiam, lectorem prius nosse eventum, quam intelligat ansam & causam.

Ordo proinde libellorum in Volumine, cum non arguat ordinem rerum gestarum, boni est interpretis philologi, *ordinem libellorum* monstrare, tum quoad *Voluminis situm*, tum quoad *rerum seriem*. Præsentis libellus, trium versiculorum, scriptus post fugam & cladem Sancheribi.

Hæc



Hæc contigit anno decimo septimo Hiskiaë. Editus itaque liber vel sub finem anni decimi septimi, vel initium decimi octavi, quo Jubilæum celebratum. Quem ergo ordinem habent, *gaudium post cladem, & præfagium cladis*, illum & hic habent hi duo libelli, *Esaia XVII, 13. 14. 15. & Esaia XVIII. Ille effectum, hic præfagium illius canit. Capite XVII. v. 13. 14. 15. facta* Sancheribi clades læto ore cantata: *Capite XVIII. futura præfagitur strages. Ut effectus & causa differunt, ita & hi duo libelli. Effectus descriptus primo libello, præfagium illius secundo.* Ita libellus capite XVIII. pro rei natura prior quam qui Capite XVII. Differunt ut *res facta & futura.* Sic ordo rerum alius, quàm ordo libellorum. Res sole clarior: Effectus sequitur prædictionem, pro rei natura: Prior adeo hic liber, qui effectum cantat, *sequitur succedentem, pro ordine fati.* Libellus capite XVIII. *prius scriptus, serius* qui Capite XVII. Ordini factorum contrarius ordo librorum, sine ullo rerum detrimento, imo cum illarum luce & honore.


Philologo incumbit hunc rerum & scriptorum ordinem exactissime observare ac demonstrare; Siquidem à *justo scribendi ordine pendet sensus libri universus.* Illum qui ignorat vel non attendit, frustra de sensu dispicit, frustra librum recenset, in vanum differit & scribit, se fallit & lectorem, si vel mille sententias aliorum aliorumque convehat & in montes cumulet. *Nihil agitur omni labore ab interprete, ubi de historia libri non constat prius, à qua genuinum argumentum omnisque sensus dependet.* Tanti est *Exegetis Philologica*, quæ solida fundamenta ponit, ad genuinum aut proprium ac nativum, literalem appellatum, sensum auctoris cujuscunque, sacri & exteri, indagandum ac demonstrandum. Labor philologi interpretis, molestus opere, fructu

fructu præstantissimus. *Sensus innatus & literalis*, pro scopo & affectu scriptoris, fons est & scaturigo usuum infinitorum, qui sponte inde profuunt & emergunt, vel nemine monente. Tanti est historia libri recensendi, monumentum philologiæ admirabile & præclarum, lumen scripti!

Juxta claram & rectam hanc normam recensuimus proximis diebus quatuor istos Voluminis *Esaie libellos*, juxta ordinem factorum. Intelliget nostram industriam ætas hæc & fecutura.

His rebus non parvis rite confectis, residui hujus ultimi mensis dies vix ullum indulgent otium, neque audiendi discendique cupiditas finit respirare dicendi ac recensendi officium. Succedent ergo, in hos dies, in Commentario in quatuor recensitos hæctenus voluminis *Esaie libellos*, in *Historia Sancheribi*, quæ contexta quatuor *Capitibus* in volumine eodem *Esaie XXXVI. XXXVII. XXXVIII. & XXXIX.* inspiciendi insignes veteris Geographiæ nodi, qui interpretes cruciarunt ad necem usque. Qui solventur brevi manu, velut anatomico cultello, ut oculi sint judices.

Aggrediemur & hanc opellam, concisus tamen, pro historiæ amplitudine, rem diffusam per texturi, proximo die *Lunæ*, deo juvante. P. P. in Acad. Julia. A. MDCCXIII. die IX, Dec.



AB: 153257




SR


VD 78

R

VD 77







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Black
Cyan	3/Color
Green	White
Yellow	Magenta
Red	Red
Yellow	Magenta
Green	Red
Cyan	Yellow
Blue	Green
Blue	Yellow
Blue	Red
Blue	Black

APHICA  
TORIA  
HERIBI

CAPITUM

I Æ

XXXVIII. XXXIX.

ANTIQUITATIS  
IDIIS

GEOGRAPHORVM

IENTIS

CEMBRI

FRABIT

von der Hardt.



TADII,

GI HAMMIL. Acad. Typogr.

DCCXIII,

jure.

29.

